

sia Vpsallensis assignandum tibi per eundem Arusiensem Episcopum ei duximus destinandum, vt postquam consecrationem ipsam receperis, illud tibi assignet sub forma, quam ei sub bulla nostra mittimus interclusam, & a te nostro & Ecclesie Romanæ nomine sub forma quam sub eadem bulla eidem dirigimus fidelitatis recipiat iuramentum. Volumus autem quod per hoc Lundensi Ecclesie, cui prædicta Vpsallensis Ecclesia subesse dicitur nullum præiudicium generetur. Tu vero illo intra Ecclesiam tuam illis diebus vtaris, qui expressim in ipsius Ecclesie Priuilegijs continentur. Vt igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius illud serues in mente, discretionem tuam monemus & hortamur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem & iustitiam dante Domino, qui dat munera & præmia elargitur obseruare studeas, quæ suum seruant & promouent Seruatorem, vt Vpsallensem Ecclesiam sponsam tuam cures sollicite auctore Domino spiritualiter & temporaliter augmentare. Datum Lugduni XV. Calend. septem. anno tertio.

581.

1274 d. 18 Aug.

Lyon.

Påfv. GREGORIUS X:s förordnande för Bisk. ISRAEL i Westerås att inviga Ärke-Bisk. FOLKE.

K. c. 186.

Israeli Episcopo Arusiensi.

Dilectvs Filius Fulco Vpsallensis Electus nobis humiliter supplicauit, vt sibi quem nuper de fratrum nostrorum consilio Vpsallensi Ecclesie in Archiepiscopum præfecimus & Pastorem impendi munus consecrationis in illis partibus mandarem. Nos igitur Electi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Electo, asscitis tibi duobus vel tribus Episcopis, sublato cuiuslibet difficultatis obstaculo, prædictum munus consecrationis impendas. Ne vero præfatum Electum oporteat ad sedem Apostolicam pro obtinendo ab ipsa palleo, quod est insigne Pontificalis officij accedere, seu Nuntium destinare, ac exinde laboribus seu sumptibus fatigari. Nos ipsius Electi supplicationibus annuentes, palleum ipsum per eum a nobis cum ea qua decuit instantia postulatum de corpore Beati Petri sumptum, per Rogerium Canonicum Ecclesie Vpsallensis tibi assignandum sibi per te duximus destinandum, vt postquam consecrationem prædictam receperit, ei illud assignes sub forma, quam tibi sub Bulla nostra mittimus interclusam, & ab ipso nomine nostro & Ecclesie Romanæ sub forma, quam tibi sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipias iuramentum. Volumus autem quod Lundensi Ecclesie, cui prædicta Vpsallensis Ecclesia iure

primatiæ subesse dicitur, nullum per hoc præiudicium generetur. Formam autem iuramenti quod ipse præstabit de verbo ad verbum nobis per eisdem patentes litteras suo sigillo signatas per primum nuntium studeas quanto citius destinare. Datum vt in proxima.

582.

1274 d. 22 Aug.

Ask.

B. MATTSONS Gåfvobref af Orlundir till Sko, Sigtuna, Risaberga och Söderköpings kloster.
A. 6. a. 1: 8.

Vniuersis christi fidelibus ad quos presens scriptum peruenerit. B. Mathei quondam filius de Ask, Salutem in domino ihesu christo, Quoniam varij sunt humane fragilitatis euentus et terminus mortis omnibus est incertus, necesse est dubios casus certis rationibus preuenire. Vniuersitati igitur vestre declaro tenore presencium me cum dilecta vxore mea Lucia, que a longo tempore continue debilitatis grauamine fuerat attenuata nesciens terminum vite sue, de bonis nobis ex gracia domini mei illustris Regis Waldemari assignante possidendis, pro ipsa in testamento vnam mansionem in Osgocia que vocatur Orlundir quinque attungos sub se continentem quorum quilibet valet quinquaginta marcas denariorum in suorum remissionem peccatorum quandocunque dominus eam ex hoc seculo vocauerit taliter ordinasse, Tres Attungos sororibus in Sco apud quas eligit sepulturam, De reliquis autem duobus fratribus predicatoribus in Sictunia viginti marcas denariorum, Sororibus in Risiberghum decem marcas denariorum, Fratribus minoribus in Suthurcopia decem marcas denariorum. Datum anno domini. M°.CC°.LXX°.IIII°. In octaua assumptionis beate virginis In mansione Ask. In cuius facti firmamentum sigilla Domini mei Regis et Domini Ducis ac meum presenti pagine sunt appensa.

Sigillen bortfallna; efter de 2:ne första äro remsorna kvar.

583.

1274 d. 17 Sept.

Lyon.

Påfv. GREGORIUS X:s befallning till Ärke-Biskopen i Upsala och dess Lyd-Biskopar, att enligt nu hållna kyrkomötes beslut uppmana Folket till korståg, med bestämmelse af Förmåner, som derföre utlofvades, samt om innehållande af tionde och annan hjälp till detta företag.

K. c. 182.

Gregorius Papa Decimus Fulconi Vpsalensi Archiepiscopo, Et vniuersis Episcopis suæ Prouinciæ.

Si mentes fidelium terrenis abdicatis illecebris recolendis immensis beneficiis nostri Redemptoris intenderent, si ea cœlesti lumine illustrante dili-